20 nov. 1752 40 168

SS. D. N. BENEDICTI, DIVINA PROVIDENTIA *PAPÆ XIV.*

DAMNATIO ET PROHIBITIO LIBRI duobus tomis conſtantis Gallico idiomate, abſque Autoris nomine, & impreſſionis loco in lucem editi, cui Titulus: Apologie de tous les Jugemens rendus par les Tribunaux Séculiers en France contre le Schiſme, dans laquelle on établit, 1.° l'injuſtice & l'irregularité des refus de Sacremens, de Sépulture, & des autres peines qu'on prononce contre ceux qui ne ſont pas ſoumis à la Conſtitution *Unigenitus*: 2.° La compétence des Juges Laïcs pour s'oppoſer à tous ces Actes de Schiſme. Tome I. & II. En France 1752.

BENEDICTUS PAPA XIV.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

MILITANTIS Eccleſiæ regimini ſupernâ diſpoſitione præſidentes, Dominici gregis cuſtodiæ jugiter invigilare, ac oves æterni Paſtoris ſanguine redemptas à pernicioſarum doctrinarum venenis, quantùm nobis ex alto conceditur, præſervare tenemur. Quapropter cùm, ſicut nobis innotuit, in lucem prodierit quidam pernicioſus Liber duobus tomis con-

ſtans, Gallico idiomate, abſque Autoris nomine & impreſſionis loco, cui Titulus : *Apologie de tous les Jugemens rendus par les Tribunaux Séculiers en France contre le Schiſme, dans laquelle on établit, 1.° l'injuſtice & l'irregularité des refus de Sacremens, de Sépulture, & des autres peines qu'on prononce contre ceux qui ne ſont pas ſoumis à la Conſtitution* Unigenitus*: 2.° La compétence des Juges Laïcs, pour s'oppoſer à tous ces Actes de Schiſme. Tome I. & II. En France 1752.* Nos, auditis deſuper plurium S. R. E. Cardinalium, aliorumque Sacræ Theologiæ Magiſtrorum, quos ad prædicti Libri examen delegimus, ſuffragiis, iiſque plenè, ac maturè diſcuſſis, de memoratorum Cardinalium conſilio utrumque ſuprà relati Libri Tomum tanquam continentem aſſertiones falſas, temerarias, ſcandaloſas, piarum aurium offenſivas, in Romanos Pontifices, Apoſtolicam hanc ſanctam Sedem & Epiſcopos injurioſas, Eccleſiaſticæ Juriſdictioni derogantes, obedientiæ Conſtitutioni *Unigenitus* ab omnibus ſincerè debitæ everſivas, ſchiſmati faventes, ſchiſmaticas, in errorem inducentes, ac erroneas reſpectivè, autoritate Apoſtolicâ tenore præſentium damnamus, reprobamus, & prohibemus; ipſiuſque Libri impreſſionem, deſcriptionem, lectionem, retentionem, & uſum, omnibus & ſingulis Chriſti Fidelibus, etiam ſpecificâ & individuâ mentione & expreſſione dignis, ſub pœnâ excommunicationis per contrafacientes ipſo facto abſque aliâ declaratione incurrendâ, à quâ nemo à quoquam, præterquàm à nobis, ſeù Romano Pontifice pro tempore exiſtente, niſi in mortis articulo conſtitutus, Abſolutionis beneficium valeat obtinere, omninò interdicimus. Volentes, & autoritate Apoſtolicâ mandantes, ut quicumque Librum præfatum, ſeù aliquam illius partem ſive Typis impreſſam, ſive manuſcriptam penes ſe habuerint, vel in futurum

quandocumque habebunt, illum, & illam, ſtatim atque præſentes Litteræ eis innotuerint, locorum Ordinariis, vel hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus tradere atque conſignare teneantur, hi verò exemplaria ſibi tradita illicò flammis aboleri curent, in contrarium facientibus nonobſtantibus quibuſcumque. Ut autem eædem præſentes litteræ omnibus faciliùs innoteſcant, nec quiſquam illarum ignorantiam allegare poſſit, volumus, & autoritate prædictâ decernimus, illas ad Valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, ac Cancellariæ Apoſtolicæ, necnon Curiæ Generalis in Monte-Citatorio, ac in acie Campi Floræ de Urbe per aliquem ex Curſoribus noſtris, ut moris eſt, publicari, illarumque exempla ibidem affixa relinqui; ita ut ſic publicatæ omnes & ſingulos, quos concernunt, perinde afficiant, ac ſi unicuique illorum perſonaliter notificatæ & intimatæ fuiſſent: ipſarum autem Litterarum tranſumptis; ſeù exemplis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſticâ dignitate conſtitutæ munitis eamdem prorsùs fidem, tam in judicio, quàm extra illud ubique locorum haberi, quæ haberetur ipſis præſentibus, ſi exhibitæ forent, vel oſtenſæ. DATUM Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die XX. Novembris 1752. Pontificatûs noſtri anno decimo tertio.

D. Cardinalis PASSIONEUS.

Die, menſe & anno, quibus ſuprà, ſupradicta Damnatio affixa fuit ad Valvas Curiæ Innocentianæ, in acie Campi Floræ, ac in aliis locis ſolitis & conſuetis Urbis per me Joſeph Renzoni, Apoſt. Curſ.)(*JOSEPH OLIVETANI, Mag. Curſ.*

ROMÆ, Ex Typographia Rev. Cameræ Apoſtolicæ.
M. DCC. LII.